

D. D.  
9

# THESES PHILOSOPHICÆ,

QUAS

CONSENSU AMPLISS. SENAT. PHILOSOPH.  
IN REGIA ACAD. ABOËNS.

P R Ä S I D E

*Maxime Reverendo atque Celeberrimo VIRO,*

**DN. DOCT. CAROLO  
MESTERTON,**

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ordin.

P R O G R A D U,

*Publico examini modeste submittit*

**ZACHARIAS KÖRSNER,**

DALEKARLUS.

In Audit. Majori, Die XXIII. Junii MDCCLVII.

H. A. M. S.

ABOË, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland, JACOB MERCKELL.

THESES I.



Arga utut sit eorum messis,  
qui ore non tantum & a-  
nimo, sed calamo etiam scri-  
ptoque contendunt, Matri-  
monia clandestina, Gallis  
*Mariages de conscience* dicta,  
civitati proficua esse, nec Christianismo ad-  
versa ; tantum tamen abest, ut hoc doctri-  
næ caput cordatiorum mereatur suffragia,  
ut variis iisdemque spurcissimis vitiis viam  
portamque pandat latissimam.

THES. II.

**E**X Jure Naturæ ne, an Civili, moralitas  
testamentorum sit arcessenda, jam diu  
licet inter se decertaverint non minuta &  
obscura, sed maxima eruditorum nomina;  
potissimum tamen hujus dissidii partem in  
meram

meram abire Logomachiam, res certior est,  
quam ut ulli sit dubio locus.

## THE S. III.

**J**us vitæ & necis absolutum, uti cives in  
se non habent, ita dum illud in prin-  
cipem transferunt, nimis ineptam produnt  
liberalitatem.

## THE S. IV.

**J**Uraimenta, quæ in casu religionis præstari  
solent, conscientiis neutiquam jugum im-  
ponere, in confessu quidem est, & quavis  
exceptione certius manet; at eadem pro-  
pterea plane inepta esse, & hypocrisim po-  
tius, quam publicam promovere utilitatem,  
id vero quantumvis ogganiant multi, vix  
ac ne vix quidem probari potest.

## THE S. V.

**F**alluntur, qui cum Christ. Thomasio aliis-  
que earundem partium idem volvunt  
saxum, ut in mente emendanda primas vo-  
luntati deferendas esse obtineant; rectius  
vero judicant, qui hujus emendationem sine  
prævia intellectus medicina ne cogitari pos-  
se statuunt. Neque tamen, ut quisque pro-  
fundissima morum cognitione imbutus est; ita

virtuti studet maxime; id licet fieri posset,  
immo & deberet.

## THES. VI.

**I**N celebri controversia de moralitate pa-  
cti Madritani, quod cum Carolo V:to ini-  
vit captivus Gallorum rex, Franciscus  
I:mus, si noster calculus dignus est, qui nu-  
meretur; illud obtentu timoris, Francisco  
injecti, haud quam respicendum fuisse,  
eo confidentius asserimus, quo certius con-  
stat, metum, quem afflictior belli fortuna  
plerumque sibi comitem adjungit, æstima-  
tione Politica, pro justo esse reputandum.

## THES. VII.

**A**D omnem imputationem requiritur, ut  
actio sit suscepta prælucente intellectu  
ac decernente volūtate: unde prono fluit  
alveo, quod actio quam quis patrare sive  
physice sive moraliter cogatur, ipsi, ob de-  
fectum libertatis ac proinde etiam voluntati-  
tis, imputari nequeat. Quamobrem si  
princeps quis civi, qui atrocissimum quod-  
dam facinus commisit, in exquisitus sup-  
plicium injungeret, ut sibi ipsi vitam adi-  
meret

meret ; hic crudeli ac inhumano principis  
sui mandato, sine ullo ~~autoxειας~~ crimine,  
satisfacere potest.

## THES. VIII.

**Q**Uamvis homines in statu naturali con-  
stituti ab aliorum coactione sint immu-  
nes, adeoque in summa vivant libertate ;  
hinc tamen inferre non licet, statum natu-  
ralem esse statum licentiae, in quo omne,  
quod libet, liceret. Libertas enim veri no-  
minis immane quantum differt ab ef-  
frena licentia. *Illa* est omnium bonorum  
civilium optima ; *haec* autem est causa & fo-  
mes interitus florentissimarum rerum publi-  
carum.

## THES. IX.

**S**Ponsalia, quæ in tenera admodum ætate  
inreuntur, non possunt valida censeri,  
nisi quatenus contraheintes, cum ad matu-  
riores annos pervenerint, in eadem persi-  
stant fententia. Quod si parentes consense-  
rint, omni nisu in id incumbent, ut filius  
vel filia pactum initum servet. Nimis au-  
tem duri sunt parentes, qui liberos modeste  
reluctantes ad rem tanti momenti proterve  
cogunt.

## THES. X.

## THES. X.

**I**NANEM omnino sumunt operam, quot-  
quot ex Jure Naturæ solide demonstrare  
nituntur, arctam sanguinis conjunctionem es-  
se conjugio inimicam, adeoque etiam in il-  
lo illicitam. Quicquid enim hi moliantur,  
reclamat tamen multarum gentium consve-  
tudo. Nec multum ponderis inest illorum  
rationibus, qui existimant pudorem natura-  
lem vel solum consideratum vel cum rever-  
entia conjunctum procreationi sobolis obes-  
se, cui fundamento splendida demonstratio-  
num ædificia superstruxerunt multi recentio-  
rum Moralistarum. Nos itaque jus Divinum  
positivum cum viris maximi nominis hic a-  
gnoscimus.

## THES. XI.

**A**D polygamiam debellandam, speciosa  
equidem, sed minus robusta censemus  
illa argumenta, quæ ex litibus, discordiis  
ac molestiis, in tali statu necessario oriundis,  
sumuntur. Validius autem nullum hactenus  
invenimus, quam quod suppeditant Tabu-  
læ, in quibus numerus natorum &  
denatorum habetur. Etenim non sine  
blanda

373  
blanda quadam voluptate animadvertisimus,  
æqualem quam proxime esse marium & fœ-  
minarum copiam ; manifesto indicio, Deum  
intendisse unius maris cum una fœmina con-  
jugium.

### THES. XII.

**C**arthagine olim statutum fuisse deprehen-  
dimus, quod ad splendida civitatis  
munera non alii admitterentur, quam qui  
opibus erant instructi ; idque ex his rationi-  
bus, partim, quod opulentiores meliorem  
recipere potuerunt educationem, partim e-  
tiam, quod fideles magis essent civitati, quip-  
pe aureis vinculis cum ipsa connexi. Quan-  
vis vero hæc pingue & obesum ingenium  
minime redoleant ; iniquum tamen esse ju-  
dicamus, virtutibus & meritis inclytos ob-  
defectum bonorum a reipublicæ administra-  
tione arcere, ac ad infirmam plebem amandare.

### THES. XIII.

**Q**uamdiu artes Oeconomicæ a nonnullis  
tantum populis exercebantur, cæteris  
falcem & colum alto supercilios fastidienti-  
bus ; his egenis, illorum sortes non potue-  
runt

runt non esse quam lautissimæ. Postquam autem singula regna scientiis Oeconomicis sedulam operam navare cœperunt, opes magis æquabiliter inter gentes distribuuntur; quod ipsum ad imperiorum æquilibrium haud parum conducit.

## THES. XIV.

**Q**uamvis commercia, quæ cum Chinensisibus hodie exercentur, Europæ noxia vel saltim minus utilia jure meritoque censentur; si quis tamen eadem Patriæ carissimæ perniciosa vel parum lucrosa contentat, næ ille vel præcipitanter vel minus rigide suos subducit calculos.

## THES. XV.

**S**icut omni honorum genere digni sunt, qui scientias, quo demum cunque modo, promovent; ita qui paradoxis tantum delectantur opinionibus tantas non merentur laudes, quantas ipsi sibi pollicentur. Tantum itaque abest, ut vitiorum ac immanissimorum Tyrannorum strenui defensores digni sint, quos admirantur, ut potius ob impudentiam omnium bonorum & cordatorum irrisione & detestationem contrahant.

SOLI DEO GLORIA !!!